



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**HORATII TVRSELLINI || ROMANI || E SOCIETATE IESV ||  
LAVRETANAE HISTORIAE || LIBRI QVINQVE. ||**

**Torsellini, Orazio**

**Romae, 1597**

Cap. 5. Plures præcipitis ruinæ periculo luberantur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64112)

Pontificem Max. de tota refeceris certiores, ut posthac Censuras Ecclesiasticas in Aedis Lauretana violatores ratas esse, ac sanctas velint; ne quid omnino illinc in posterum auferatur. Orabis etiam cum istis sanctis sacerdotibus B. Virginem, ut hoc quicquid est, siue erroris, siue culpa clementer mihi condonet. Data Tridenti VI. Id. Aprilis An. M. D. LXII. Subinde tam certi, exploratique miraculi fama per Picenum Italiamque vulgata, & loci religionem, cultumque plurimum auxit, & maximam vndique peregrinorum molem cum donis exciuit. Satis constat, intra vnus mensis spatium, supra quinquaginta aduenarum millia confluisse Lauretum, studio celebrati fama lapidis visendi osculandique. Nec alia res illa tempestate, sermonibus hominum celebratior fuit.

*Plures præcipitis ruinae periculo liberantur.*

*Cap. V.*

**P**ER idem tempus Deipara Virgo haud minus mortalium salutem, quam domum suam sibi cordi esse claris indicijs ostendit. Troilus Ribera vir nobilis Lauretum voti causa petens, haud procul maritimo Piceni castello (Cryptas vocant) per abscissas rupes iter faciebat eques. Ibi fallente vestigio, ex præcipiti in subiectum maris littus, equo inhærens deuoluitur, Lauretanam subinde Virginem inclamans. Nec defuit diuinum auxilium, mira res dictu, visuque. Equus cum equite de rupe reuolutus hæsit in femita propter mare: ipse etsi gladio ac pugnione præinctus, incolumis euasit, nullaq. læsus ex parte. Ita Lauretum ad duplex votum exsoluendum, lætus, atque alacer tendit. Geminum ac par discrimen Salustius Turmæ equitum Pij Quarti Ductor, ope B. Virginis effugit. Is in altissima rupe Umbriæ iter faciens simul, cum

Z equo

*Ann. Laur.  
Rier.*



equo corruit præceps. Sed in ipso periculo memor B. Virginis Lauretanæ, quam ante adierat, eam lacrymabundus implorat. Aduit ruenti B. Maria, & præsentem strenue opem tulit. Itaque ille, etsi ad imam vsque vallem deuolutus, tamen sine vlllo grauiore incommodo surgit: & erat altitudo rupis vnde exciderat, passuum circiter quadraginta, ne quis eam rem miraculo eximeret. Parem in pari periculo B. Virginis opem expertus est Iosephus a Mōte Feltrio. hic editā conscenderat turrim ea mente, vt ibi statueret trabem. Cæterū vestigio fallente delapsus ferebatur præceps. Ibi tum Virginem Lauretanam inuocans extemplo visus sibi cælesti quadam vi, & quasi manu sustineri, ac paulatim sine molestia, periculoque demitti. Igitur solum attigit integris non solum membris, sed etiam sensibus. Illud autem admirabilius. Augustinus Cremensis Catari erat in Vrbe Dalmatiæ an. M.D.LXIII. Iunio ineunte, quo tempore ingens terræmotus bonam vrbis partem hausit, strauitue: & Franciscum Priulum Prætorem vrbis cum vniuersa familia oppressit, haud miserabili magis, quam memorabili clade. Tum igitur Augustinus, & ipse communis periculi particeps, B. Mariæ Lauretanæ implorauit opem. nec frustra. Illi subita parietis ruina obruto, vestimentis dilaceratis, summa duntaxat cutis perstringitur. Ita omnium opinione mortuus, repente B. Mariæ præsidio existit incolumis. Cuius incolumitatem illustriorem fecit aliorum, qui par discrimen subierunt, fæda ac miseranda mors.

*Nauta amissa nauis, B. Virginis ope seruatur,*  
*Cap. VI.*

*Ann. Laur.  
 Riera.*

**N**EC minor in maris tempestate sedanda, quam in terræmotu B. Virginis Lauretanæ vis existit. Sardus erat quidam Nauarchus peritus, & grauis. qui è Constanti-